NICOLAUS DE VALLE

ROMÆ RESPONSORIA AD CONSTANTINOPOLIN

ROMA, PLUNCK - HAIN 15835

6 Hefte [illegible] [illegible]
33 Blätter

Roma Constantinopoli sorori carissime
Responsum editum a Nicolao de valle.

c Cum procul aspecta est lugubris epistola fleui
Me miseram casus vaticinata tuos.
At cum certa fides funestaqꝫ littera nobis
Admonuit turca te cecidisse manu.
Haud aliter dolui quã si mea diruta cernam
Menia ⁊ ab rupto tibridis ore rapi.
Scissa comas miseris impleui vlulatibus vrbem
Ut solet amissa cara sorore soror.
Aspiceres habitu stat curia flebilis atro
Atqꝫ vrbis lachrimas angulus omnis habet.
Stant pauide matres adapertaqꝫ pectora plangunt
Omnia femineo murmure mesta sonant.
Quin etiam vise effigies lachrimasse deorum
Et mecum casus ingemuisse tuos.
Tum septem summo fleuerunt vertice montes
Et capitoline menia celsa domus.
Marmora visa loqui conquestaqꝫ marmora nobis
Et strepuit querulo flebilis aura sono.
Hoc erat hoc totiens ꝙ tu mihi visa per vmbras
Tristis ⁊ effusis sanguinolenta comis.
Uera quidem modo sunt duri presagia somni
Cum vise totiens ad fera bella manus.
Cristicolumqꝫ feras humano sanguine pasti
Obstupui subito semianimata metu.
Hec quoqꝫ fatidici cecinerunt omnia vates
Cum gemini totiens intonuere poli.
Uisaqꝫ monstra simul metuendaqꝫ signa ferarum
Et totiens medio flamma nitera die.
Et totiens celo gutte cecidere cruente
Sanguinta visus crescere tibris aqua.

Lunaq; in aduersum totiens occurrere fratri
  Et tremere ex imo terra fretumq; solo.
Scilicet istud erat tamen omnia falsa putabam
  Nec tam crudeles rebar habere deos.
Crudeles nimium superi quid parcitis vltra
  Jam turco superest altera Roma rapi.
Quid tarpeia domus quid iam mea menia restant
  Romulea quondam menia facta manu.
Uos in me potius fera fulmina mitte & ignes
  Uel fluuius tumidis omnia rastet aquis.
Fundamenta solo totamq; euellat ab imo
  Ne tantum de me gaudeat hostis atrox.
Omnia perpatiar rapte sequar atra sororis
  Funera pars anime concidit illa mee.
Odimus hanc lucem sine te cur non licet vltro
  Jnuisos telo claudere posse dies.
Protinus occiderem gladio transfixa cruento
  Jam subito manes sponte secuta tuos.
Aut vtinam pro te saltem licuisset obire
  Pensasem imperij secula cuncta mei.
Rapta quidem es bene rapta tantum pro numine christi
  Uictaq; pro sacra relligione iaces.
Hoc placet hoc vno casus solamur acerbos
  Sit superis vtinam mutua cura tui.
Conqueror hoc tantum q͏ᷓ te deuicit amirras
  Jmperiumq; tuum demonis instar habet.
Quid loquor experta es sceptrum crudele tyranni
  Credo equidem malles succubuisse feris.
Jmmanes legi turcos stupuiq; legendo
  Et gelidus subijt ima per ossa tremor.
Mitius egisset Cinis aut ferus ille Procustes
  Humano uel qui sanguine pauit equos.
Scilicet hoc meruit tua sors hunc inuida finem

pensaua

Prochdolor imperij fata tulere tui.
Prochdolor hostis atrox de te regina triumphat
Seuire vlterius non potuere dei.
Felix heu nimium felix sceleratus amirras
Si nunq̃ argolicas appetijsse opes.
Imperium mecum fueras partita per orbem
Et tibi regine nobile nomen erat.
Mutauit fortuna vicem de paupere regno
Maius in imperium perfidus hostis adest.
Non isthinos illi non obstitit alta corinthus
Cetera difficili nec loca dura situ.
Nescio quid fatale gerit felicia turco
Omnia proueniunt & capit omne solum.
Et tanq̃ toto regnat basiliscus in orbe
Pollulat & septem faucibus hydra nouis.
Me miseram nullo late obsistente vagatur
Jamiam tacturum sidera summa putem.
Nosco deos hec sunt humane crimina gentis
Humani turcus criminis vltor erit.
Dij prohibete nefas sunt vobis fulmina & ignes
Telaq; mortali non iacienda manu.
Vos vestrum delete genus sunt flumina mille
Ut redeant vaste deucalionis aque.
At satis o superi vos saltem parcite diui
Penarum exhausit pestis amara lues.
Me miseram illustres animas quot reddidit orco
Tot guttas magni non habet vnda maris.
Nec satis hoc etiam furit in mea viscera turcus
En vexat bello seuus vtrũq; polum.
Uultus auos Troie Bizantia menia vicit
Deq; tuo madidam sanguine fecit humum.
In mea regna Thomas patrijs fugit exul ab oris
Cuius in imperio grecia magna fuit.

Eneeqꝫ pio Frygij de more sacratum
Eripuit medio de flegetonte caput.
Sacratum caput Andree quo numine patras
Vixit ⁊ in magna relligione fuit.
Eripuit ne quid sceleris tẽtaret amirras
Et fieret canibus preda nefanda suis.
Scilicet hoc impune feram tot polluit aras
Aspectamqꝫ dei seuit in effigiem.
Seuit in hunc cuius preciosa morte redempti
Erepti stigio de flegetonte simus.
Sacra ante ora canum manibus proiecta cruentis
Quis ferat ⁊ magne diruta templa dee.
Heu vbi nunc vires vbi prisca potentia nunc est
Me miseram desunt robur ⁊ arma mihi.
Et manus ob patriam pugnantum est sanguis auorum
Qui totiens pro me non timuere mori.
Heu vbi nunc ille est uel qua regione moratur
Romulus a cuius nomine Roma feror.
Et Fabij genus herculeum fortissima bello
Pectora qui non vi sed cecidere dolo.
Heu vbi nunc Cocles pugnando auellere pontem
Ausus in occursus Porsena tuste tuos.
Aut decioꝝ anime ⁊ lybici duo fulmina martis
Scipiade quorum fama perhẽnis erit.
Victor ab auxilio qui signa ex hoste recepit
Non sine magnanimo marte: Camillus vbi est
Regulus exemplum vite: magniqꝫ Catones
Et qui barbarico subdidit ense caput.
Cesar vbi duce quo spolijs orientis onusta
Imperio redij nobilitata meo.
Te saltem sinerent in lucem fata reuerti
Hostis in excidium tu satis vnus eris.
Sed vetitum quid agam pudet heu miseretqꝫ fateri

Imperij facta est tanta ruina mei.
Non sum qualis eram tecum decus omne recessit
Ultima tu nostri fama vigoris abis.
Nonne vides genti cum nemo obsistere turce
Audeat impunis ꝛ tamen illa furat.
Pannonie populetur agros totamq; sub armis
Europen stricto concitet ense feroꝛ.
Quid referam tu nosti casus ꝛ fata sororis
Siue pios manes seu magis astra colas.
Credo equidem tantus peruenit ad ethera plangoꝛ
Et vexata truci regia tecta manu.
Heu quantum maris ꝛ terraꝝ nomen ademptum est
Imperium medij se penes orbis habet.
Quin etiam italie moꝛtem excidiumq; minatur
Ha quotiens misere sum mihi visa capi.
Attonite turco trepidant in nomine gentes
In bellesq; domi tempora longa terunt.
Exoriare aliquis magno de sanguine diuum
Seuicies sub quo pꝛincipe turca cadat.
Qui mihi reddat auos veterisq; insignia regni
Et rediat patrie qui vigoꝛ ante fuit.
Et mahumeteum nomen non audiat orbis
Accipiantq; ferum tartara nigra genus.
Dum loquoꝛ ꝛ cupio fieri tua debita vindex
Ante deum fleuit relligio ꝛ pietas.
Humanos queste casus obitusq; nefandos
Et pariter questa est cum pietate fides.
Relligio sacra cuncta rapi pollutaq; templa
Ac vanum chꝛisti nomen in orbe dolet.
Parte tua pietas placido mitissima vultu
Inquit ab incepto desinat hostis atroꝛ.
Jam satis est: miserere deus: crudelis amirras
Pascitur humano sanguine moꝛe canis.

Tum diuina fides mundum conquesta labantem
Me miseram non sum que prius illa fui.
Magna quidem nostro pars est de corpore rapta
Deqꝫ meis pulsa finibus exul agor.
Falsum mortales mahumeti nomen adorant
Orba mei iure numinis astra peto.
Dixerat ast illum celi qui sidera torquet
Credibile est tantis ingemuisse malis.
Nulla mora est numero patrum delegit ab omni
Per quem tutetur relligionis honos.
Eneamqꝫ pium Petri succedere in ede
Jussit: non alio principe digna fuit.
Hic pater vnus erat tanto in discrimine rerum
Hic opere in tanto dignior vnus erat.
Nam postqꝫ humani generis concessa potestas
Et subijt merito pontificale decus.
Non illum luxus nec mollis sarda napali
Ocia: non auri gloria flura iuuat.
Eternum molitur opus cum laude perhēni
Sperat ⁊ vltorem se fore posse tuum.
Tum polluta fides ⁊ relligionis honores
Ante oculos errant nocte dieqꝫ pij.
Affuse genibus lachrimas lamentaqꝫ fundunt
Et bellum turcis exiciale rogant.
Ille igitur tanta rerum caligine pulsus
Non sine celesti numine bella parat.
Jam letare soror neqꝫ enim spes omnis adempta est
Jam mecum magno da pia thura deo.
Qui sortem humani generis miseratus acerbam
E medio rapuit carbasa nostra mari.
En pius Eneas pietate a matre creatus
Debitus effusi sanguinis vltor adest.
Sint licet innumere turcorum in prelia gentes

Tot quoq; quot frondes arbor opaca gerit.
Uel quot vere nouo virides numerantur ariste
 Nostra tamen bello copia maior erit.
Aspicis ut pugne totus se accõmodet orbis
Exicioq; ruat turce nefande tuo.
Armorum ne audis strepitus ferit ethera clamor
 Martius ante equites et tuba grande sonat.
Sponte omnes sublata crucis verilla sequuntur
 Et gestant sacra pectora plena fide.
Mens eadem cunctis turcorum sanguine pasti
 Ee nisi victrici non reditura manu.
Senties hostis atrox acies atq; itala castra
 Et quantum pariter robur in arma ferant.
Non est cum frigijs pugnandum aut gente sabea
 Quam veneris luxus desidieq; iuuant.
Experiere manus alias te martia pubes
 Non mentita patris nomen ad arma vocat.
Te Ueneti assiduo soliti contẽnere marte
 Jngenti celeres per freta classe petunt.
Adriacũq; premunt turritis puppibus equor
 Jllorum innumeras vix capit vnda rates.
Nec tot in iliacas arces armauit atrides
 Legitimi fracto lesus honore thori.
Jlle quidem rapta merito pro coniuge seuit
 Nos quoq; pro rapta relligione dei.
Polluteq; sacros fidei tutamur honores
 Et belli grauior et pia causa mea est.
Quis neget auxilium nisi cui dedit vbera tigris
 Uel nisi quem dire progenuere dee.
Tartareoq; ferus didicit seuire sub antro
 Poculaq; e stygijs ferrius hausit aquis.
Credo etiam multos belli pia causa mouebit
 Jn quorum steterat pectora dura silex.

Aspicis ut marti similis sis mundus in hostem
Arma vibret forti sanguinolenta manu.
Jam pridem inuisus superis cum perfidus in me
Ecclesiamq; dei tela nefanda tulit.
Penituit sceleris seq; ad pia bella dicauit
Jurat & in christi nomine velle mori.
Haut aliter poterat maculas abolere nefandi
Criminis haut aliter triste piare nefas.
Huic etiam celi modo si benefacta sequatur
Creditur Eneas restituisse viam.
Sunt alij quorum virtutem extendere dictis
Longa mora est: saltem nomina nuda sequar.
Gorgoneo accedet scuto metuendus & hydra
Fortiades generis maxima fama sui.
Fortiades quo non virtute potentior alter
Ardua militie ductor in arma venit.
Asper acerba fremens iam ventilat anguis in auras
Et ligure celerant post sua signa manus.
Infecitq; diem sublatus ad ethera puluis
Atq; pedum strepitu contremit omne solum.
Quin etiam siculorum acies iuuat ordine longo
Aspicere & quanto robore tela ferant.
Atq; alios maiore animo Ferdinandus in hostes
Nunc reficit vires ad pia bella nouas.
Jam silue desunt hastilibus aptaq; pugne
Fraxinus et nulla est omnibus vmbra locis.
Et vetus argentum & fluxit fornacibus aurum
Arte laboratum est quicquid & eris erat.
Non satis ad ferrum calibes tot tela tot enses
Tot galeas belli machina tanta petit.
Jam brontes steropesq; & laxat fessa pyragmon
Brachia vulcano vix magis ethna calet.
Arma libens sibi quisq; rapit fremit arma iuuentus

Delenda est inquit gens inimica deo.
Aspice q̄ꝫ magnas agitet germania vires
Gentis ⁊ hispane bellicus ensis adest.
Nec deerit pannon curuato letifer arcu
Hic quoqꝫ finitimos impetet hostis agros.
Extremisqꝫ ruet terrarum a finibus anglus
Quicquid ⁊ occidui est sub regione poli.
Ne te opere in tanto imunem burgunde relinquam
Cuius inexpleto pectora marte calent.
Tot ductor populoꝝ acies tot milia tecum
Turcorum ericio tu satis vnus eris.
Credo equidem seui gentem hanc mauortis alūnam
Sic gerit expertas ad fera bella manus.
Quam nec turca acies nec aperta pericula terrent
Intrepidi sic se fulminis instar agit.
Perge igitur neqꝫ enim belli te parua moratur.
Gloria res pia fit officiumqꝫ pium.
Quid trepidas soror en adsum tua debita vindex
Iamqꝫ iterum toto pectore funde preces.
Venit leta dies ⁊ sors extrema malorum
Nec sine celesti ducimur auspicio.
Nonne vides qualis se se ferat alitis instar
Angelus etherea lapsus ab arce poli.
Fatiferumqꝫ ensem dextera gerit aspice quantum
Feruidus hinc atqꝫ hinc ille peragmeneat.
Horrendum visu nunc hos nunc opprimit illos
Inqꝫ hostes acer suggerit arma mihi.
Aspice cardineos breuiori in veste quirites
Tot quoqꝫ sacratas ad pia bella manus.
Nec magis ex humeris pendent redimicula mitre
Nullaqꝫ puniceus ora galerus obit.
Sub galea caput ense manus armata calescit
Eacidas credes hectereosqꝫ duces.

Prompti animam ꝛ totum medios effundere in hostes
Nescio quid seuum fulmineumqꝫ tonent.
Et primi ante acies astant mucrone corusco
Iustaqꝫ magnanimo pectore bella gerunt.
Quos inter pius eneas diademate sacro
Fulget in hunc omnes lumina versa tenent.
Miranturqꝫ patrem ꝛ proni vestigia libant
Et peragunt summas ore fauente preces.
O pietas immensa pii non debilis etas
Inualidi non te detinuere pedes.
Non freta non montes patrie nec dulcis imago
Nec sacri sedes imperiosa Petri.
Proponis maiora animo fideiqꝫ labanti
Subsidium magna non sine laude paras.
Intrepidumqꝫ caput pro relligione pacisti
Nil dubitas si res postulat ipsam tuum.
Hoc etiam in terris scriptum est adamante perhenni
Seu mahumetheos perdere siue mori.
O decus o lapsi spes magna atqꝫ vnica mundi
Iamqꝫ tibi equari gloria nulla potest.
Cedat ꝛ alcides quanqꝫ tot grandia gessit
Et domuit seuuꝫ quicquid in orbe fuit.
Iam modo cesareum taceant mea secula nomen
Maius cesareo nomine nomen habes.
Iam tua fama sacris titulis euecta poetum
Astra deosqꝫ inter gaudet habere locum.
Iam tibi se toto reseratur vertice celum
In quo perpetuum tu quoqꝫ numen eris.
Pone metũ germana Pio sub principe per quem
Imperio certe es restituenda tuo.
Scribere plura vetor celerant in prelia gentes
Me quoqꝫ apostolicus miles ad arma vocat.

¶ Nicolaus de Valle.